



CAPUT. I.



Summa capituli. Complectitur hoc caput brevem repetitionem gestorum à mansione in monte Sinai sive Horebusque ad mansionem in Cadesbarnea, adeoque eorum, quæ spatio duorum annorum post Israëlitarum ex Ægypto egressum in deserto gesta.

Dispositio. Partes capituli duæ sunt. 1. Proœmium generale, à v. 1. usque ad 6.

2. Commemoratio specialis tum gestorum in Sina à v. 6. usque ad v. 19. tum gestorum in Cadesbarnea à v. 19. usque ad cap. finem.

Potest etiam commemoratio dispelci in commemorationem. 1. beneficentiæ divinæ erga populum. 2. inobedientiæ populi erga Deum.

V. 1. Hæc sunt verba, quæ locutus est Moses ad omnem Israël trans Jordanem, in solitudine campestris contra mare rubrum inter Pharan & Tophel & Laban & Hasaroth, ubi auri est plurimum.

V. 2. Undecim diebus de Horeb per viam montis Seir, usque ad Cadesbarne.

V. 3. Quadragesimo anno, undecimo mense, primâ die mensis locutus est Moses ad filios Israël omnia, quæ præceperat illi Dominus, ut diceret eis.

V. 4. Postquam percussit Sehon Regem Amoræorum, qui habitavit in Hesebon, & Og Regem Basan, qui mansit in Ascharoth & in Edrai.

V. 5. Trans Jordanem in terra Moab. Cœpitque Moses explanare legem & dicere.

Dispositio. In hoc proœmio totius libri generali exponitur. 1. Persona loquens, quæ est Moses, qui verba in hoc libro comprehensa primùm vivâ voce protulit, postea in literas ea redegit. v. 1. 2. Objectum sive personæ,